Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

SYNODUS

DIŒCESANA VINCENNENSIS

PRIMA.

HABITA ANNO MDCCCXLIV.

LOUISVILLE:

APUD B. J. WEBB & BROTHER.

1844.

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

SYNODUS

DIŒCESANA VINCENNENSIS

PRIMA,

HABITA ANNO MDCCCXLIV.

Dominica quarta post Pascha, die Maii quinta, anno salutis MDCCCXLIV post integram hebdomadam ab universo fere Diœceseos Clero intra Episcopales Œdes in Sacris Exercitiis, quibus admodum *Re. D. Joannes Timon* præfuit, pie insumptam: Synodus Diœcesana Vincennensis prima in Ecclesia Cathedrali St. Francisco Xaverio dicata haberi cæpta est.

Missa Solemni de Spiritu Sancto ab Illustrissimo et Reverendissimo *D. Cœlestino Renato Laurentio Guynemer de la Hailandiere* Episcopo Vincennensi, celebrata; ac Sacra Communione de Pontificis manu, tum a Sacerdotibus, tum ab Diœcesani Seminarii Alumnis, intra missam recepta: adm. *Rev. D. J. Timon* de Unitate Ecclesiæ anglice ad Populum Sermonem habuit. Quo absoluto, et omnibus in Pontificali Romano præscriptis, fideliter servatis, lecta fuerunt Decreta Concilii Tridentini de Residentia. Tum Clerus universus, flexis genibus, professionem Fidei emisit: et aliis de more peractis, post Solemnem Episcopi benedictionem omnes recesserunt.

Eadem die, post Vesperas, sessio prima privata habita est, in qua Constitutiones Synodales omnes primum simul lectæ fuerunt, et dein sigillatim legi cæptæ sunt, cunctos adhor-

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

tante Episcopo ut quidquid de singulis Decretis unicuique videretur, mediante Cleri Procuratore, in medium proferrent.

Feria secunda, Missam Solemnem pro Ill.'mo et Rev.'mo D. *Simone-Gabrieli Brute*, Vincennensi Episcopo primo, nec non et pro Sacerdotibus defunctis, Rev. *J. Corbe* celebravit: atque absolutione ab Rev.'mo Episcopo peracta, Rev. *Ant. Deydier* de piæ memoræ Episcopi defuncti vita orationem habuit: et Sessio secunda Synodi publica inchoata est. Denique, omnibus servatis in Pontificali Romano descriptis, omnes de choro ad secundam Sessionem privatam processerunt.

Hora 2a. Sessio privata tertia et ultima habita est, in qua singulorum Decretorum lectione et examine absolutis, saluberrimis admonitionibus, pro suarum Ecclesiarum Regimine, Missionarios R.'mus Episcopus adlocutus est.

Feria tertia, hora 9a., Missæ solemni de SS. Trinitate, pro gratiarum actione, a R. *Ant. Deydier* celebratæ, una cum universo Clero, R.'mus Episcopus in Pontificalibus adfuit: et post Missam Sessionem tertiam publicam ritu præscripto inchoavit et habuit. Decreta prout a Patribus Synodi approbata, mandante R.'mo Episcopo publice lecta et promulgata fuerunt: et tandem, omnibus rite peractis, hymno *Te Deum* pro gratiarum actione cantato, et solemni Pontificis Benedictione accepta, omnes in pace in nomine Christi recesserunt.

SYNODI OFFICIALES A R.'MO EPISCOPO DESIGNATI.

Adm. Rev. D. Aug. M. A. Martin, *Promotor.*
Adm. Rev. D. J. Timon, *C. M.*
R. R. D. D. Joannes Corbe,
" " Antonius Deydier, } *Confessores cum plenis facultatibus.*
" " Ant. Deydier, *Procurator Cleri.*
" " Jul. Delaune, *Magister Ceremoniarum.*
" " Vincentius Baquelin, *Secretarius.*
" " Conradus Schneiderjans,
" " Ludovicus Ducoudray, } *Cantores.*

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

ADFUERUNT PRÆTEREA SYNODO.

R. R. D. D. Joannes Bellier, *S. E.*
" " Augustus Bessonies,
" " Stanislaus Buteux, *S. E.*
" " Joannes Baptista Chasse, *S. E.*
" " Michael Clarke,
" " Tussanus Courjault,
" " Guillemus Engeln,
" " Simon Petit Lalumiere,
" " Timotheus Mullin,
" " Alphonsius Munschina,
" " Ludovicus Neyron,
" " Michael O'Rork,
" " Carolus Oppermann,
" " Antonius Parret,
" " Josephus Rudolph,
" " Michael Shawe,
" " Joannes Vabret, *S. E.*

ABFUERUNT A SYNODO LEGITIMIS IMPEDIMENTIS DETENTI.

R. R. D. D. Julianus Benoit,
" " Franciscus Cointet, *S. S. C.*
" " Mauritius De St. Palais,
" " Hippolytus Dupontavice,
" " Franciscus Fischer,
" " Joannes Gueguen,
" " Josephus Kundek,
" " Theophilus Meinault, *S. S. C.*
" " N. Meinkman,
" " Edwardus Sorin, *S. S. C.*
" " Romanus Weinzœpflen.

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

STATUTA DIŒCESIS VINCENNENSIS

PROMULGATA IN SYNODO DIŒCESANA VINCENNENSIS PRIMA, AB ILLUSTRISSIMO REVERENDISSIMO D. CŒLESTINO RENATO LAURENTIO GUYNEMER DE LA HAILANDIERE, EPISCOPO VINCENNENSI SECUNDO, HABITA, IN ECCLESIA CATHEDRALI, MENSE MAIO, ANNO DOMINI 1844.

Decreta universa Conciliorum Provincialium Baltimorensium 1i., 2i., 3i., 4i., et 5i., a Sancta Sede approbata, et jamdudum legis vim habentia, in hac Nostra Diœcesi fidelius observanda summopere cupientes, de præsenti in Nostra hac Diœcesana Synodo Promulgamus, et ut permanenter ubique observentur, eorum exemplar unum in Parochiarum archiviis asservandum, et a quibuslibet Sacerdotibus semel saltem quotannis perlegendum commendamus.

Istis Conciliis, tanquam nostri canonici juris puro fonti stricte adhærentes, et quantum in nobis est eorumdem consequentia prosequentes, ea que sequuntur decernenda statuimus.

De vita et moribus Clericorum.

I. Sacerdotes veste talari in Ecclesia semper utantur: quam etiam ut constanter gerant hortamur: quod si peculiaria rerum adjuncta eam induere non sinant, iis tantum vestibus utantur quæ sint nigri coloris, quæ anterius claudantur et omni vano et mundano ornatu careant, juxta formam a Nobis et a pluribus nostræ Diœcesis Sacerdotibus usitatam. Quæ regula ad omnes etiam Clericos in Sacris Ordinibus constitutos spectat.

II. Quod ad domesticam Clericorum vitam attinet, Ecclesiæ canones de fœminis quibus cura domus ac rerum familiarium committitur, in memoriam revocantes, prohibe-

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

mus ne Clerici ad cohabitandum in suis ædibus admittant fæminas quæ non sint ætatis provectæ et moribus vitaque illibata commendabiles.

III. Sacerdotes qui curam animarum habent, sive Pastores sint, sive illis Assistentes, ne, qua Dominica die, per annum, a grege suo, Nobis inconsultis, absint, omnino vetamus. Aliis vero Sacerdotibus, (exceptis Regularibus, si quos in posterum ad Nos Providentia miserit) plus quam quindecim dies procul a Comitatu in quo residere solent abesse non amplius licebit, nisi de nostra licentia. Si quando autem casu inopinato, ad Nos prius consulendos temporis opportunitas non suppetat, rem Nobis postea quamprimum aperiant.

IV. Ubi plures sunt Sacerdotes, prior in nominatione semper censeatur Pastor loci, nisi alium Ordinarius designaverit: cæterique huic adjutores sint, quibus ergo non licebit quidquid aggredi, præter Pastoris voluntatem.

De Ritibus et Libris.

I. Solo Rituali Romano, auctoritate et jussu Concilii Baltimorensis quarti nuper impresso utantur Sacerdotes; et in omnibus dictum Rituale sequantur, necnon et Manuale Cæremoniarum ad finem uniformitatis in lucem editum.

II. Catechismus quoque ut unus idem pro unaquaque lingua qua Nostræ Diœcesis fideles utuntur adhibeatur præcipimus: Scilicet pro anglico idiomate Catechismus cui titulus, *Catechism of the Christian Doctrine, published with the approbation of the Rt. Rev. Bishop* DE LA HAILANDIERE; aut ejusdem compendium, sub titulo. *An abridgment of the Christian Doctrine:* pro lingua Germanica autem, Catechismus plurimorum hujusce Americanæ Ecclesiæ Episcoporum auctoritate editum, hoc titulo, *Catechismus oder Kurzer Imbegriff Christkatholischer Lehre zum Gebrauche der Katholischen Kirche in den vereinigten Staaten von Nordamerika.*

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

III. Sibi Sacerdotes comparent libros in quibus diligenter inscribantur Baptismata, Confirmationes, Matrimonia et Sepulturæ, et quidem duplici exemplari, quorum unum quotannis ad Episcopum remittetur in Diœcesanis archiviis servandum, alterum vero in Parochialibus archiviis remanebit.

IV. Liber quoque habeatur in quo omnes cujuscumque generis dispensationes ad Matrimonium spectantes accurate scribantur, una cum dispensatorum nominibus et dispensationum causis: cujus libri excerptum saltem in fine cujusque anni ad Episcopum mittatur.

V. Insuper et liber in quo oblationes et reditus quicumque fideliter inscribantur: similiter et expensæ, et onera si quæ sint, in eodem libro memorentur.

De Bonis Ecclesiæ.

I. Nulla nova Ecclesia in posterum œdificari poterit, quin prius instrumento scripto, assignata Ordinario proprietas fuerit.

II. Nec cuiquam posthac licitum erit sive de nova Ecclesia, sive de Parochiali Domo ædificandis, aut de veteribus novis constructionibus amplificandis statuere aliquid vel moliri, nisi de licentia nostra atque Nobis prius ichnographiis communicatis et approbatis.

III. Ne temere incœpta haud feliciter succedant, nullam domum, vel Communitatem, vel scholam Fratrum aut Sororum, vel Virginum Deo dicatarum in Diœcesi instituendam, in posterum volumus, nisi prævia nostra licentia in scriptis obtenta.

IV. Securitati bonorum ecclesiasticorum prospicientes, et hacce de re Decreto SS. Congregationis de Propaganda Fide inhærentes, statuimus nulli posthac licitum fore Sacerdoti penes se suo nomine retinere quælibet bona sive realia sive mobilia, quæ a Fidelibus in toto vel ex parte, in ecclesiasticos usus donata fuerint.

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

V. Collectæ quæ fiunt in Ecclesia et sedilium reditus, juxta antiquum Ecclesiæ morem dividantur in tres partes; ita ut una Sacerdotis sustentationi, altera educandis Cleris, alia autem iis comparandis quæ sunt divino cultui necessaria nec non et fabricæ usui, applicentur. Quod si una pars insufficiens fuerit ad Sustentationem Sacerdotis, aut altera ad debita Ecclesiæ Solvenda, ut aliter provideatur, Episcopus rogetur.

VI. Ubi plures sunt Sacerdotes Congregationis curam habentes, voluntariæ fidelium oblationes quæ fiunt occasione Baptismatum et Matrimoniorum in unum et commune æs reponantur, una cum collectarum et Sedilium proventus supra memorata tertia parte ad sustentationem Sacerdotis: et prout Episcopus ordinaverit inter illos dividantur, potioris juris et gravium onerum Pastoris non neglecta consideratione.

VII. In quacumque Ecclesia sedilia intra annum conficiantur et locentur: nec ultra in posterum Pastorum sustentationi subscriptionibus provideatur, nisi de redituum quorumcumque et proventuum insufficientia certior factus licentiam specialem Episcopus fecerit.

VIII. Quamdiu incompleta, aut ære alieno gravata Ecclesia fuerit, a quibuslibet expensis, præter quotidianos et consuetos ejusdem Ecclesiæ sumptus, prorsus abstineatur, ut quam primum et finiatur et debita solvantur. In aliis Ecclesiis autem, in iis nempe quæ et completione non indigent et ab ære alieno solutæ sunt, ultra centum Americanos nummos per annum præter istos quotidianos et consuetos sumptus expendere, absque nostra approbatione, nullo modo licitum erit.

IX. Nec unquam inconsulto et non approbante Episcopo, præsumant Sacerdotes nomine Ecclesiæ debita contrahere quæ ex ipsius reditibus intra annum non facile Solvenda Sint.

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

X. Statuimus ut in singulis congregationibus duo vel quatuor præcipuæ virtutis et auctoritatis viri, tanquam Ecclesiæ Curatores, eligantur: quorum erit munus in Dominicis et festis diebus post lectum in Missa Evangelium collectam oblationum facere; et insuper Pastoribus in auxilium adesse in iis quæ ad temporalem Ecclesiarum administrationem pertinent, quandocumque a dictis Pastoribus ad hoc requirentur.

De Baptismo.

I. Ut intra sex menses in unaquaque Ecclesia erigantur Fontes, in quibus sub clavi aqua Baptismatis servetur, præcipimus.

II. Bina vice quolibet anno renovetur aqua sacramentalis, scilicet Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes. Quod si casu defecerit, adhibeatur tantum aqua ad hunc finem benedicta juxta formulam a SS. Sede pro Missionibus nostris approbatam.

III. In reverentia quoque qua decet et bene clausa sacra Olea teneantur, et quamprimum post Feriam Vam. in Cœna Domini renoventur, veteribus crematis.

IV. In locis ubi erecta est Ecclesia, nunquam extra eam Baptismi Sacramentum conferatur, nisi vel mors immineat, vel nimis distet domicilium; et tunc quidem absque Solemnitate administretur.

V. Hæreticorum aut infidelium infantes non baptisentur, quin promiserint parentes se prolem in fide catholica educatam habituros fore: morti autem proximos hujusmodi infantes baptisare, ad hoc requisitus Pastor, non solum potest sed et debet.

VI. In baptizandis adultis eadem formula quæ pro infantibus servari potest, ex Indulto SS. Pontificis. Nec unquam in administratione sive Baptismi, sive cujuslibet alius Sacramenti, vernacula lingua usurpetur, nisi explanationis via, et adhibita prius Ecclesiæ lingua.

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

VII. De nominibus imponendis, et Sponsoribus admittendis, consulatur et stricte teneatur Ritualis Romani regula.

De Eucharistia et Sacrificio Missæ.

I. Non licet in privatis ædibus quæ non fuerint titulo Stationum approbatæ Missam Celebrare, nisi forte magna distantia a regularibus stationibus et fidelium necessitas requirat: nec unquam Sacrum facere præsumant Sacerdotes, sive in Ecclesiis, sive in Stationibus, nisi veste talari induti.

II. In Ecclesiis omnibus Tabernacula sericis pannis deintus ornata, et bene clausa, juxta Romanam rubricam, intra tres menses habeantur.

III. In illis Ecclesiis, juxta quas residere solet Missionarius, SS. Sacramentum servetur: ut in aliis autem servetur, Nostra specialis licentia petatur: nec SS. Eucharistiam domi retineant Sacerdotes, nisi ut aliter fiat prorsus sit impossibile.

IV. Non ultra unum et viginti dies Sacræ in posterum Species serventur: sed consummentur et renoventur.

V. Quamprimum fieri poterit cereæ candelæ intra Sacrum adhibeantur.

VI. Quod autem ad numerum et qualitatem Altarium linteaminum, corporalium seu pallarum munditiem, et sacrorum indumentorum colorem et decentiam spectat, Rubricæ Romanæ de hoc sæpe sæpius perlegantur, et fideliter observentur.

VII. Una Dominica singulis mensibus, et in Solemnitatibus principalibus quæ cum octava festivantur, benedictionem cum SS. Sacramento, in locis ubi est Ostensorium, fidelibus dari, facultatem damus.

VIII. Ut ante Missam Parochialem, diebus Dominicis et Festis, Litaniæ Loretanæ, seu B. M. V., ubi fieri potest, cantentur, valde cupimus.

IX. Post Evangelium in Missa statim ad Populum con-

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

cio, quæ per modum catechesis de doctrina dogmatica et morali potius quam de controversia tractet, habeatur.

X. Ante Concionem autem Jejunia et Dies Festi quæ occurrunt prænuntientur, Epistola et Evangelium lingua vulgari populo legantur, et juxta Apostolicum mandatum observationes, postulationes, gratiarum actiones fiant pro omnibus hominibus, et pro omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate. Et ut, quantum fieri potest, uno ore glorificemus Deum atque idem loquamur, ut et idem sentimus, librum qui prædictarum precum, et faciendarum monitionum formulas continebit, typis edendum quam primnm curabimus, quo omnes Sacerdotes utentur, cuncta quæ in eo præscripta sunt fideliter observantes.

XI. Sacerdotes omnes qui postorali munere funguntur, singulis Dominicis et diebus festis de præcepto servandis, Sacrificium Missæ pro fidelibus sibi commissis offerre meminerint: et quidem iis festis diebus, quibus fideles ab obligatione audiendi Missam Apostolico Indulto soluti sunt, pro iisdem tamen in Missa specialiter orare non prætermitant, juxta Decretum SS. D. N. Gregorii XVI, audientia habita die 29a. Martii 1840.—Iisdem diebus Dominicis et festis die præcepto verbi prædicatione suas oves, qua possunt charitate pascant. Publicum quoque divini cultus officium ut eo quo par est decore et majestate fiat curent: pueros ad altari inserviendum et laudes divinas canendas instruant; et semper, ubi id fieri potest, Missam et Vesperas solemniter celebrent, quæ in Rubricis et Cæremoniali de hoc præscripta Sunt in quantum poterunt servantes.

XII. Ad SS. Eucharistiam recipiendam pueros, assiduis catechesibus jamdudum instructos, per duos aut tres dies ante Communionem in unum congregatos piis exhortationibus et spiritualibus exercitiis maxima diligentia preparare Pastores conentur.

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

De Pœnitentia.

I. Mulierum confessiones audiantur (exrta casum infirmitatis) in confessionali cum superpelliceo et stola: et præcipimus ut in omnibus Nostræ Diœceseos Ecclesiis confessionalia intra sex menses ab hac die erigantur. Quod si paupertas loci id non permittat, saltem crates adhibeantur.

II. Omni ope et sollicitudine nitantur Pastores ut etiam juniores qui ad usum rationis pervenerint, etsi nundum septennes, ad confessionis annuæ præceptum implendum adducant.

III. Meminerint Sacerdotes quod ad audiendas in confessione Moniales, Sorores cujusvis Instituti et Ordinis, et etiam Puellas in unam quasi religionis domum degentes, specialis jurisdictionis facultas requiratur. Illarum autem Confessariis ordinariis mandamus, ut hebdomada quæ præcedit jejunium quatuor temporum ad Nos scribant, ut Confessarius extraordinarius illis assignetur: et quamdiu hic suo munere fungetur, ordinarius Confessarius a confessionibus Communitatis audiendis omnino abstinebit.

De Matrimonio.

I. Quæ de Sacramento Matrimonii in primo Baltimorensis Concilio commendata fuerunt, præ oculis habeant Sacerdotes, atque servare omnino studeant meminerint etiam, 1o. solemniter declaratum fuisse a Gregorio P. P. XVI, Decreto 10 Januarii 1841 emanato, disciplinam et Decretum Concilii Tridentini de Matrimoniis clandestinis in hac Diœcesi vigere, et impedimentum clandestinitatis subsistere, ideoque Matrimonia sine præsentia Sacerdotis et duorum testium celebrata nulla et irrita esse: 2o. Ab eodem Gregorio XVI. extensam fuisse ad totam Diœcesim declarationem S. M. Benedicti P. P. XIV., datam die 4a. Novembris 1741, super dubiis spectantibus Matrimonia in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda, contrariis quibuscunque non obstantibus, nec

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

non et concessionem eisdem provinciis factam: 3o. Ex præfatædeclarationis et concessionis Benedicti XIV. extensione ad nostram Diœcesim sequi, Matrimonia mixta, inter partem scilicet acatholicam baptizatam et catholicam, celebrata, sine præsentia Sacerdotis, etiam in locis ubi habetur copia Sacerdotis, et Sacerdos residere solet, valida esse, licet illicita: item, Matrimonia inter duas partes acatholicas, in iisdem locis ubi habetur copia Sacerdotum, atque in aliis quibuscumque celebrata, valida esse: ita ut, si ad fidem convertantur, vel ad bonam frugem revertantur, Matrimonia prædicta non egeant rehabilitatione: 4o. Declaratum fuisse a Summo Pontifice, Matrimonia celebrata, etiam inter duas partes catholicas, sine præsentia Sacerdotis, iis in locis ubi Sacerdos residere habitualiter non solet, etiamsi regulariter a Missionario visitentur, et etiamsi non longe distent a loco ubi Sacerdos residet, valida esse, quamvis illicita forent, si facile Sacerdotem habere possent.

II. Tres proclamationes inter Missarum Solemnia tribus consecutivis diebus Dominicis vel Festis de præcepto Matrimoniis inter Catholicos celebrandis sunt præmittendæ. Super duabus dispensatio concedi poterit ab illis qui hanc a Nobis facultatem receperunt; sed super tribus nunquam.

III. Matrimonia inter Catholicos ne extra Ecclesiam celebrentur, nisi propter nimiam distantiam, prohibemus: et vehementer optamus ut sponsis solemnis benedictio infra Missæ celebrationem impertiatur.

IV. Quoad Matrimonia mixta, meminerint Sacerdotes proclamationes non esse faciendas, ritus et preces præscriptas non esse adhibenda, nec superpelliceo nec stola utendum; sed hujusmodi Matrimonia sola receptione, mutui consensus, et quidem non intra Ecclesiam, esse celebranda. Nec in Matrimoniis mixtis, promissio a parte acatholica facienda de prole in fide catholica educanda, prætermittatur.

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

De Facultatibus.

I. Alieno Sacerdoti, in sua Diœcesi approbato, si in nostram venerit spiritualium exercitiorum occasione, vel ad prædicandum et audiendas confessiones a Sacerdote a Nobis approbato vocatus, ordinarias facultates, quales in nostris minoribus facultatum litteris habentur, concedimus.

II. Cuilibet Sacerdoti in nostram Diœcesim venienti, et in sua approbato, sacrum facere per tres dies concedimus. Quod si longius remanere intendat, ad Nos de ampliori obtinenda facultate scribet.

III. Nulli cuiquam Sacerdoti liceat Sacrum Ministerium exercere intra alterius Missionarii jurisdictions fines, nisi de ipsius consensu. Si Quæ autem ratione ministerii, sive absente, sive consentiente Pastore loci, receperit, ea non retinebit, sed omnino illi tradet vel remittet.

De Publicis Observantiis.

I. Festi Dies de præcepto servandi quæ intra hebdomadam occurrunt, quatuor sunt; scilicet, Dies Natalis D. N. J. C., Ejusdem Ascensio in Cælum, Assumptio B. M. V., et Solemnitas Omnium Sanctorum.

II. Festivitates Circumcisionis D. N. J. C., et Purificationis B. M. V., quo die eveniunt celebrentur: Fideles autem moneantur, talibus diebus Missam audire aut ab opere cessare, illos haud teneri.

III. Epiphania Domini, Annunciatio B. M. V., Solemnitas Corporis Christi, Festivitas BB. AA. Petri et Pauli, et Nativitas B. M. V., si intra hebdomadam advenerint, in Dominicam proxime sequentem transferantur. Ut Similiter, quoad celebrationem Solemnem hujusce Diœceseos, et cujusquæ Ecclesiæ Patroni principalis Festivitas transferatur, SS. Sede concessum est.

IV. Usns carnium pro una tantum comestione intia

Digitized by UNIVERSITY OF NOTRE DAME Original from UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Quadragesimam permittitur: a quibus autem omnino abstinendum erit Sabbato quatuor temporum, singulis Feriis iva. et via. per Quadragesimam, et quatuor ultimis hebdomadæ Sanctæ diebus. Toto Quadragesimali Tempore ovis et lacticiniis uti permissum est.

V. Die Anniversaria cujusque Episcopi Vincennensis ultimo defuncti, obitus, vel proxima die non impedita, quotannis usque ad mortem ipsius successoris, omnes Sacerdotes Sacrificium Missæ offerant pro refrigerio ejus animæ, et pro animabus quoque Sacerdotum in hac Missione defunctorum.

VI. Item Singulis annis, quamprimum post diem commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, Missa a quolibet Sacerdote dicatur pro defunctis membris Sodalitatum pro Propaganda Fide institutarum.

VII. Ut pia exercitia Viæ Crucis in omnibus Ecclesiis, si fieri poterit, instituantur, valde cupimus et commendamus, et facultates ad hoc necessarias omnibus nostræ Diœceseos Pastoribus concedimus: qui ut cum Fidelibus sibi commissis SS.mi. et Immaculati Cordis B. M. V. Archiconfraternitati pro conversione peccatorum Parisiis erectæ aggregentur, simili zelo exoptamus: de facultate autem hujus Societatis erigendæ, et Litteris aggregationis obtinendis, ad R. Pastorem Ecclesiæ Nostræ Cathedralis, Archiconfraternitati pro tota Diœcesi præpositum, scribendum erit.

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME
Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

SYNODUS

DIŒCESANA VINCENNENSIS

PRIMA.

HABITA ANNO MDCCCXLIV.

LOUISVILLE:

APUD B. J. WEBB & BROTHER.

1844.

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

SYNODUS

DIŒCESANA VINCENNENSIS

PRIMA.

HABITA ANNO MDCCCXLIV.

LOUISVILLE:

APUD B. J. WEBB & BROTHER.

1844.

Digitized by
UNIVERSITY OF NOTRE DAME

Original from
UNIVERSITY OF NOTRE DAME